

vel unam matrinam pro singulis pueris adhibere non licet. Insuper (quod in baptismo non requiritur) necesse est ut ejusdem sexus sit patrinus vel matrina cum confirmando vel confirmando. Constat ex Pont. Rom. et Instr. cit.

3º Pontif. Rom. statuit: "Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio episcopi." Ideo ut unus patrini munus pro multitudine confirmandorum agat, requiritur vel moralis impossibilitas plures obtinendi vel Indultum Apostolicum. (S. Inqu. 16 Jun. 1884; Coll. P. F. n. 696)

4º Patrinus debet implevisse annos quattuordecim, et esse confirmatus; si confirmatus deesset, praestaret sacramentum sine patrino conferre. (Instr. cit.)

5º Ut munus valide exerceatur et spiritualis cognatio contrahatur, oportet ut patrinus confirmandum tangat. Juxta Pont. Rom. adulti debent ponere pedem suum super pedem dexterum patrini sui. Sed sufficit ut patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi. (S. C. R. 20 Sept. 1749; Coll. P. F. n. 689)

6º Ab hoc munere arcentur iidem qui prohibentur esse patrini in baptimate. (n. 158) His accenset Instr. cit. eos qui praeceptum paschale omiserint. Hoc ad summum obligat in locis missionum, pro quibus ista Instructio edita est. Cfr. dicta n. 158, 3º.

7º Patrinus confirmationis non contrahit obligationem instruendi confirmatum, excepto casu satis raro quo iste nondum instructus sit et aliis desit. (S. Alph. n. 187) Quasdam obligationes juxta Pont. Rom. enuntiat Instr. cit., sed parum ad proxim facientes.

TRACTATUS XIV.

DE EUCHARISTIA.

167. Eucharistia est sacramentum in quo, post panis et vini consecrationem, D. N. Jesus Christus vere, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium continetur. (Trid. Sess. 13. c. 1) Hujus catholicae veritatis explicationem et probationem Dogmaticis relinque-
mus. In decursu autem hujusce Tractatus ea tantum de natura hujus augustissimi sacramenti et reali Christi praesentia recolemus, quae necessaria sunt ad quaestiones morales pertractandas.

Cum Eucharistia non tantum sacramenti sed et sacrificii rationem habeat, multi A.A. duplē partē in praesenti argūmento distinguiunt: priorem, de Eucharistia qua sacramentum est; posteriorem, de Eucha-
ristia qua sacrificium est. Facilem partitionem et nos sequemur.

SECTIO I. — DE EUCHARISTIA QUA SACRA- MENTUM EST.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE.

§ 1. DE MATERIA.

168. Agimus hic tantum de ea quae ab omnibus dici solet materia Eucharistiae remota, seu de rebus e quibus sacramentum illud confici-
tur. Nam nihil speciatim hic dicendum de materia ejusdem proxima: qua locutione, alii species permanentes (Bus, ap. S. Alph. n. 194), alii usum materiae requisitae in ipsa consecratione (Gury II. n. 281) designant.

Neque ingrediemur quaestionem subtiliter a Dogmaticis disputatam, num et quatenus sacramentum Eucharistiae permanens, seu in facto esse, et ipsum intrinsece constet materia et forma. Videsis Lugo, de Euch. disp. 1. sect. 4.

I. Materia remota Eucharistiae est tantum **panis et vinum**, ut liquet e S. Scriptura (Matth. XXVI, 26 seqq. etc.) et universa traditione. Ex ipso autem jure divino, utraque materia est ita necessaria ut numquam liceat alteram tantum speciem consecrare, etiam ut moribundo detur Viaticum. Ratio est, quod Christus jussit sacerdotes sacrificium offerre sub utraque specie, neque hoc sacramentum extra sacrificii oblationem confidere. Cfr. n. 214. In hoc divino preecepto, juxta communem DD. sententiam, R. P. dispensare nequit, et certe numquam dispensavit. (S. Alph. l. 6. n. 196)

169. II. Ad validam consecrationem requiritur **panis triticeus**, sive azymus, sive fermentatus. Cfr. Conc. Florent. Decr. unionis Graecorum. (Denz. n. 587)

Panis triticeus intellegitur ille qui ex farina triticea et aqua naturali compositus, et igne tostus sive assus est. Triticum vero sub se varias species, saltem accidentaliter diversas, numerat. Cfr. von Olfers, *Pastoral medicin*, p. 194. Hinc :

1º Certo invalida materia esset panis confectus ex hordeo, oryza, avena, fabis aliisve leguminibus vel arborum fructibus.

2º Dubia materia, ideoque semper graviter illicita, est panis e secali (*seigle*), saltem quia hoc a multis AA. dicitur specie differre a tritico, licet in pluribus regionibus ut panis usualis adhibetur et simpliciter nomine panis vocetur. Idem plures (S. Alph. n. 200) dicunt de silagine (tritico hiberno), quam videntur cum secali confusisse, dum reapse apud Latinos designabat praestantissimam tritici speciem. Quare eam cum S. Th. (3. q. 74. a. 3. ad 2) valide adhiberi censemus.

3º Similiter panem e spelta (*épeautre*) validam esse materiam negant multi (S. Th. l. c.), cum spelta specie a tritico differat. Ideo plerique cum S. Alph. (n. 200) tenent eam saltem illicite adhiberi. Multi tamen iisque praestantes AA. praesertim e Germania, ut Voit, Sporer, Struggl (quos allegat Ball. P. n. 26 seqq.), non tantum theoretice speltam vero tritico adnumerant, sed testantur eam in suis regionibus passim, probantibus episcopis, in materiam Eucharistiae fuisse adhibitam. Dissensus ille forte exinde oritur, quod non omnes prorsus idem frumentum hoc nomine designarint. Igitur tum quoad speltam, tum quoad siliginem, non tam ad nomen attendendum est quam ad qualitatem et peritorum judicium. Si enim isti communiter vero tritico

adnumerant id quod sub alterutro nomine venit, licebit in consuetudine recepta persistere.

4º Dubia, ideoque et graviter illicita, materia foret panis confectus oleo, butyro, lacte, ovis, etc.

5º Invalida materia foret massa triticea cruda, vel frixa aut elixa ad modum placentae vel libi.

6º Valida, sed graviter illicita, materia foret panis confectus ex tritico, cui minor quantitas alius frumenti commixta esset.

7º Similiter valida, sed graviter illicita, materia foret panis mucidus, qui nempe ad corruptionem vergit. Ad hunc defectum vitandum jubet Rit. Rom. (tit. IV. c. 1. n. 7) ut "particulæ consecrandæ sint recentes." Quanto autem tempore *recentes* maneant, non videtur eadem regula ubique metiendum, sed attendendæ sunt variae circumstantiae tempes-tatis, loci in quo custodiuntur, etc. quippe quae corruptionem accelerent vel retardent. Certe S. C. R. 16 Dec. 1826 tamquam abusum reprobavit consuetudinem quorundam parochorum Gandavensium, consecrandi species a tribus mensibus, tempore hiemis, et a sex mensibus in aestate confectas; insuper respondit alios sacerdotes non posse, tuta conscientia, uti iisdem particulis, si parochus ab hoc abusu recedere nollet, (Coll. S. R. n. 2650) Liceret tamen *ex gravi causa* pane non recente uti, dummodo certum sit illum nondum esse corruptum.

8º Si in quibusdam locis Missionum e tritico seminato, propter speciales soli aerisve condiciones, frumentum oriretur quod accidentales varietates prae se ferret, materia valida et licita maneret. Ut enim, de hujusmodi varietatibus loquens, dicit S. Th. l. c.: "Generans generat sibi simile in specie..... Et ideo si quae frumenta sunt quae e specie tritici generari possunt.... ex tali frumento panis confectus potest esse materia Eucharistiae." (1)

170. III. Sacerdos ritus latini tenetur sub gravi ad celebrandum in pane azymo, quando versatur in loco latini ritus vel etiam in loco ritus graeci, quotiens ibidem ecclesia proprii ritus habetur. Eadem regula valet de sacerdote ritus graeci quoad celebrationem in pane fermentato. (Const. Bened. XIV *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742) Hinc communiter deducunt AA. cum S. Alph. (n. 203) sacerdoti ritus latini illicitum esse consecrare in pane fermentato, etiamsi hoc necessarium foret ad Viaticum moribundo ministrandum : eo quod privatae hujus utilitati prae-

(1) Hodie diligenter cavendum a corruptionibus multis quae in farinam tritici induci solent, ex. gr. dum eidem admiscetur farina pomorum terrestrium, gypsum aliaeve substantiae minerales. Has tamen corruptiones detegere potest cum plena certitudine vir chemiae peritus. Cfr. von Olfers, op. cit. p. 195.

valet commune bonum, ob quod Ecclesia severissime praecipit ut unusquisque ritum suum servet. Id licitum fiet tantum unico casu eoque fere fictio : nempe ad complendum sacrificium, si, consecrato jam vino, panis adhibitus deprehenderetur corruptus, neque alias adesset nisi fermentatus.

Attamen, juxta sententiam probabilissimam (S. Alph. n. 203), sacerdos latinus qui peregre versatur in loco Ecclesiae graecae in quo deest ecclesia ritus latini, potest ad libitum vel in azymo vel in fermentato celebrare. Peregrini enim possunt, sed non tenentur se conformare legibus locorum per quos transeunt (Vol. I. n. 96). Neque obstat cit. Const. Bened. XIV, quippe quae agit tantum de iis sacerdotibus qui stabiliter in loco alterius ritus commorantur. (Ball. P. n. 31)

Similiter fideles ritus latini regulariter in azymo, fideles ritus graeci in fermentato communicare debent. Nihilominus ex decreto S. C. de P. F. 18 Aug. 1893 (Act. S. S. t. 27. p. 442) : "Omnibus fidelibus cujuscumque ritus, sive latini, sive orientalis, degentibus in locis in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur S. Communionem, non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore, devotionis gratia, juxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi." Hanc facultatem Leo PP. XIII (Const. *Orientalium dignitas*, 30 Nov. 1894) extendit ad casum quo fideles "propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possint, nisi cum gravi incommode, adire : de quo Ordinarii esto judicium."

IV. Insuper, in Ecclesia latina, panis consecrandus debet esse figura orbiculari et integra. Licit probabilius celebrare, etiam ex devotione, cum hostia minore qualis laicis dari solet, quando major haberi nequit, neque scandalum populi timendum est : quod facile a prudente sacerdote vitabitur. (S. Alph. n. 205) Hostiam vero fractam vel maculatam adhibere, quia integra et munda deest, culpa vacat ; veniale foret, si absque causa rationabili fieret ; mortale etiam, juxta S. Alph. (n. 204), si laesio vel macula esset enormis : quod ultimum probabiliter alii, ut Ball. P. (n. 29), nimis severum reputant, dummodo grave scandalum absit.

171. V. Ad validam alterius speciei consecrationem requiritur **vinum de vite**, (Conc. Flor. Decr. pro Armenis) Oportet igitur ut varia elementa quae vinum componunt a vite originem trahant : quare invalida materia esset liquor tam artificiose vinum naturale imitatus ut eamdem compositionem chemicam utrumque haberet, nisi elementa arte composita traherent originem a vite. Hinc :

1º Invalida materia est liquor e fructibus aliarum arborum vel plantarum expressus, ut sicera, etc. Item acetum : nam substantialis mutatio facta est chemica combinatione inter alcohol vini et oxygenium aeris.

2º Invalida quoque per se est *agresta*, scil. vinum "de uvis acerbis seu non maturis expressum." (Rubr. Miss.) Hodie tamen saepe ex uvis non maturis conficitur vinum quod veri vini speciem habet, addito saccharo quod uvis deest. Sed quando quantitas sacchari sic addita superaret eam quae in musto reperiatur, materia esset saltem illicita.

3º Similiter invalidam dicunt AA. (Bus. ap. S. Alph. n. 206) *loram*, quae fit aqua expressis acinis superfusa. Interdum quidem dubitari possit num liquor ita obtentus materia valida esset, eo quod multis succus adhuc in uvis remaneret : sed certe graviter illicitum esset hujusmodi dubiam materiam adhibere. (Ball. P. n. 34) Hodie passim uvis semel expressis pluriens infunditur solutio sacchari, et obtinetur quantitas vini quinques amplior quam quae ex acinis semel expressis obtenta fuisset. Cfr. von Olfers, op. cit. p. 199. Quare multa vina, quae passim ut bona mensae apponuntur, saltem tamquam materia illicita, ab altari removenda sunt.

4º Valida, sed per se graviter illicita, materia est *mustum* seu vinum recens nondum defaecatum : quia admixtas habet faeces non consecrabiles. Si tamen a faecibus fere purgatum esset, venialis tantum culpa committeretur ; immo nulla, si necessitas urgeret, puta ob defectum vini veteris. (Bus. ap. S. Alph. n. 207) Ratio ob quam valet mustum, manifesta est, ubi succus uvarum jam ope fermentationis omnes veri vini dotes acquisivit. Ubi vero nondum fermentatus est, dubium oriri posset consideranti discrimina chemica quae inter hujusmodi succum et vinum fermentatum dantur, siquidem per fermentationem quaedam elementa eliminantur et pleraque inter se alias combinationes ineunt. (von Olfers, op. cit. p. 177) Nihilominus usus Ecclesiae, quem testatur Missale Rom. (De defect. t. IV. n. 2) : "Si mustum de uvis tunc expressum fuerit, ... conficitur sacramentum," probat haec discrimina esse mere accidentalia.

5º Graviter illicita materia est *vinum acescens* ; non tantum si adeo vehemens est acrimonia ut merito dubitari possit num jam vinum in acetum transierit, sed etiam quando vinum manet quidem substantialiter incorruptum, sed jam notabiliter acidum est : nam cavendum est non tantum a dubia consecratione, sed etiam ab irreverentia sacramenti. Constat ex Rubrica Missalis, quae de gravi peccato damnat eum qui consecrat in vino quod "cooperit acescere vel corrumpi vel fuerit aliquantulum acre." Quae ultima verba probabiliter cum S. Alph. (l. c.) ita restringi possunt ut liceat, alio deficiente vino, adhibere vinum parum acescens, sive non notabiliter acidum, ex. gr. si quis celebraturus est in ecclesia in qua nullatenus vel aegre vini parum acescentis muta-

tionem obtineret. Insuper in gravi necessitate licebit uti vino quod notabiliter quidem acescat, sed tamen certo vinum permaneat. (1)

6º Graviter illicita esset consecratio in *vino congelato*, ob irreverentiam sacramento illatam. Eamdem invalidam esse plures AA. opinati sunt; sed horum sententiam nulla solida probabilitate pollere, merito existimat S. Alph. (l. c.), eo quod ipsa Rubrica Missalis (de defect. X) manifeste supponit sub specie vini congelati manere Sanguinem Dñi: "Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis etc."

7º Licet celebrare Missam cum vino facto *ex uvis passis*, dummodo liquor extractus colore, odore et gusto dignoscatur esse verum vinum. (S. Inqu. 22 Jul. 1706 et 7 Maii 1879; Coll. P. F. nn. 697 et 705) Ratio autem conficiendi hujusmodi vini, prout in quibusdam missionibus adhibetur, haec est: tunduntur in apto vase quaedam librae uvarum passarum, superinfunduntur totidem librae aquae frigidae; postquam per horas summum decem servatae fuere uvae in hac aquae infusione, extrahuntur, aqua exteriori purgantur et torculari premuntur. Cfr. Zitelli, App. Jur. Eccl. p. 317. Hujusmodi vinum ubique licite adhiberi cum Lehmk. (II. n. 118) existimamus, quia neque e rei natura, neque e cit. responsis erui potest ejus usum restringi ad casum necessitatis.

8º Ad judicandum de liceitate multarum *mixtionum* quibus hodie vinum paratur, juvat prae oculis habere decisiones recentiores S. Inquisitionis. Haec S. Congregatio 30 Julii 1890 (Coll. P. F. n 706) respondit nihil obstare quominus in Missae sacrificio adhibeatur vinum album cui miscenda sit aliqua quantitas spiritus vini (alcool), dummodo serventur sequentes condiciones:

a) Ut spiritus extractus fuerit e genimine vitis. (2)

b) Ut quantitas alcoholica addita, una cum ea quam vinum de quo agitur naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum. Attamen quandoque contingit vina post primam fermentationem jam duodecim vis alcoholicae gradus superare et tamen, ut sine periculo acescitiae ad exterias nationes exportentur, necessarium esse ut decem et octo alcoholicae vis gradibus polleant: ut de quibusdam Hispaniae vinis S. Inquisitioni exposuit Archiepiscopus Tarragonensis. In hoc casu licitum esse usum hujus vini ad Missam celebrandam, respondit S. Inqu. 5 Aug. 1896 (N. R. Th. t. 28. p. 662), a contraria decisione, quam eidem Archiepiscopo 15 Apr. 1891 dederat, recedens.

(1) Cavendum ne putatur acescere vinum quod iterata fermentatione laboret. Neque ullus serupulus habendus, eo quod vinum sit turbidum: quod facilius in naturali quam in artefacto contingit. Cfr. von Olfers, op. cit., p. 200.

(2) Spiritum vini potius quam saccharum e canna saccharina addendum esse respondit S. Inqu. 5 Aug. 1896 (N. R. Th. t. 28. p. 660): profecto ne, absque necessitate, addantur quae non proveniant a vite.

c) Ut admixtio fiat quando vinum est valde recens; quod in cit. resp. S. Inqu. 5 Aug. 1896 explicatur his verbis: "quando fermentatio sic dicta *tumultuosa* defervescere incepit. „ Scilicet ne vino jam prorsus confecto aliquid addatur quod imperfecte tantum eidem commisceatur.

Cavendum tamen ne tamquam dubia vel invalida materia habeatur quodecumque vinum, in quo conficiendo aliqua e praedictis condicionibus non fuerit servata: saepe enim defectus illi satis exigui erunt ut valor nulli periculo exponatur. (1)

172. VI. Vino consecrando admiscenda est in ipsa Missa **aqua modicissima**. (Conc. Flor. Decr. pro Arm.) Hoc praeceptum ab Ecclesia impositum est (Trid. Sess. 22. c. 7), ideoque ad valorem mimine pertinet; sub gravi tamen obligat, eo quod ob rationes magni momenti a primis Ecclesiae saeculis servatum est.

Praecepto satisfit infundendo unam guttam, neque videtur excedere qui addat quantitatem aequivalentem tertiae parti vini consecrandi. Attamen, quando vinum debile est (ut saepe hodie contingit), praestat minorem partem addere ne vinum periculo corruptionis exponatur. Ubi parvum cochlear adhibetur ad aquam infundendam, ut fit in Belgio, vix timendus est excessus, nisi quis perexiguam vini quantitatem adhiberet.

§ 2. QUAES CONDICIONES AD MATERIAM CONSECRATIONIS REQUIRANTUR.

173. I. Ad validam consecrationem requiritur ut materia sit **physice praesens** sacerdoti consecranti, independenter a circumstantiis et ab omni alio nutu vel signo; unde a fortiori non sufficit praesentia intellectualis, qua tantum verbis vel mente praesens sistatur. Potissima ratio desumitur ex institutione Christi qui consecravit materiam praesentem, et non dedit potestatem Apostolis faciendi nisi quod ipse fecerat. Patet etiam e pronomine *hoc*, *hic* quo res praesens tantum demonstratur. (Lugo, de Euch. disp. 4. n. 121)

(1) Diligentissime cavendum ab innumeris et subtilissimis vini corruptionibus. Has saepe vel aegerrime, vel nullatenus detegere potest vir chemiae peritus. Nam, si vino artefacto non insunt nisi ea elementa quae in vino naturali reperiuntur, nequit analysi chemica detegi utrum ea a vite an aliunde originem trahant: quae quaestio in praesenti argumento solvenda est. Cfr. von Olfers, op. c. p. 199. Ideo vix alia via tuta manet quam ut vinum Eucharisticum ematur ab iis qui norint quaenam in eo conficiendo servanda sint et simul eximia probitate eniteant. Jam S. C. de P. F. Litt. Encycl. 10 Martii 1861 (Coll. n. 702) vigilantium episcoporum in re tanti momenti aevit.